

neque enim nobis aut locorum eadem notitia aut com-  
 tuum eadem abundantia, sed manus et arma et in his omnia.  
 6 quod ad me attinet, iam pridem mihi decretum est neque  
 exercitus neque ducis terga tuta esse. proinde et honesta  
 mors turpi vita potior, et incolumitas ac decus eodem loco 5  
 sita sunt; nec inglorium fuerit in ipso terrarum ac naturae  
 fine cecidisse.

34 'Si novae gentes atque ignota acies constitisset, aliorum  
 exercituum exemplis vos hortarer: nunc vestra decora re-  
 censete, vestros oculos interrogate. hi sunt, quos proximo 10  
 anno unam legionem furto noctis adgressos clamore debel-  
 lastis; hi ceterorum Britannorum fugacissimi ideoque tam  
 2 diu superstites. quo modo silvas saltusque penetrantibus  
 fortissimum quodque animal contra ruere, pavida et inertia  
 ipso agminis sono pellebantur, sic acerrimi Britannorum 15  
 iam pridem ceciderunt, reliquus est numerus ignavorum et  
 3 metuentium. quos quod tandem invenistis, non restiterunt,  
 sed deprehensi sunt; novissimae res et extremus metus  
 torpore defixere aciem in his vestigiis, in quibus pulchram  
 4 et spectabilem victoriam ederetis. transigite cum expe- 20  
 ditionibus, imponite quinquaginta annis magnum diem,  
 adprobate rei publicae numquam exercitui imputari potuisse  
 aut moras belli aut causas rebellandi.'

35 Et adloquente adhuc Agricola militum ardor eminebat,  
 et finem orationis ingens alacritas consecuta est, statimque 25  
 2 ad arma discursum. instinctos ruentisque ita disposuit, ut  
 peditum auxilia, quae octo milium erant, mediam aciem fir-